

prias committere; quatenus omnem sequo-rem suspicionem à se removeant, ac aliud, quam jus & æquum postulat, affectare non videantur. Atque hoc sensu refertur in cap. nos si incompetenter 41. II. q. 7. Leonem Pontificem Legatis Cæsareis iudicium in causa propria detulisse. Eodem quoque sensu refertur in A. B. cap. 5. §. 3. ex antiqua consuetudine iudicium in causis Imperatorum

Comiti Palatino Rheni competere. Pari 182 sensu refertur, Regi Hispania in conventibus triennialibus; Regi Gallia in Parlamento; Regi Anglia à Magistratu, quem Iustitiam Magnam vocant; Regi Dania ab Univerfo Regni Senatu jus dici posse. Conferantur Clarissimi in Jure Publ. & Codice Antecessores & Professores D. Hermes in *fascic. cap. 22. n. 9.* D. Braun de *Magistr. cit. cap. 6. §. un. n. 10.*

## SECTIO V. De Effectu Jurisdictionis.

### SUMMARI A.

183. Effectus Jurisdictionis indicatur. 184. & seqq. Effectus speciales ex parte subjecti activi recensentur. 188. & seqq. Singulariter attingitur obligatio, ut, quod Juris thausis in altero, eodem & ipse utatur. 192. & seqq. Notatur actio de albo corrupto. 193. Innuitur effectus ex parte subjecti passivi. 194. & seqq. In petitorio defenditur Jurisdictione actione confessoria vel negatoria. 196. & seqq. Edocetur, quid in hujusmodi actione sit probandum. 199. & seqq. Agitur de simili probatione. 203. &

seqq. Discutitur questio de possessione, an liberis ab onere probandi? 210. & seqq. Explanatur l. 8. §. 3. ff. Si Servit. vindic. 213. & seqq. In possessorio defenditur Jurisdictione turbationis repressiva. 215. & seqq. Vel decreti manutentionis. 218. & seqq. Vel decreti interdicti unde vi. 222. Vel remedii can. redintegranda. 223. Vel actione injuriarum. 224. & seqq. Adstruuntur ea, qua in hujus remediis probanda sunt.

### §. I.

#### Quid operetur Jurisdictione in genere?

183. Jurisdictione duplicem effectum operatur, generalem & specialem. Specialis pro diversis Jurisdictionis speciebus diversus, ac sigillatim in singulis exponendus erit. Generalis vel est proximus, vel remotus. Remotus consistit in actionibus & remediis, quibus Jurisdictione tam in petitorio quam in possessorio defendi, & conservari potest; de quibus in §. 2. & 3.

184. Proximus spectatur vel ex parte subjecti activi, quod Jurisdictione præstet; vel ex parte subjecti passivi, quod Jurisdictione subest. Ex parte subjecti activi importat Jurisdictione I. potestatem præcipiendi, vetandi, permittendi;

185. di. puniendi &c. II. conferre honorem, præcedentiam, ac, si Ordinaria sit, juxta multos, quos refert Paurmeister lib. 1. cap. 29.

186. num. 28. nobilitatem. III. parit aliquam utilitatem, & tribuit facultatem percipiendi multarum compendia, saltem ob contumaciam, ratione cujus quilibet hodie Judex contumacibus potest imponere multam pecuniariam, ac sibi applicare. Stryck in *usu mod. ad*

187. tit. ff. si quis jus dicenti &c. §. 1. IV. imponit gravem obligationem, ut cujusvis fortis & conditionis hominibus, plebeis æque ac magnatibus, pauperibus perinde ac divitibus, secundum merita cause, dictamen justitiæ, fateram æquitatis, jus tribuatur, dicatur;

188. reddaturque. V. ex eadem obligatione resultat alia, tam in Legibus Naturalibus, quam Positivis fundata, ut, quod quisque juris in alterum statuit (idem est, si impetret à statuentem) eodem & ipse utatur juxta rubri-

cam & l. hoc edictum 1. §. 1. ff. Quod quisque Juris in alterum statuit, ut ipse eodem Jure utatur. Unde si Magistratus, coram quo Titius v. g. 189 100. petit à Sempronio, quas ille se mutuos accepisse fatetur in chirographo, judicialiter exhibito, eidem Titio nihilominus probationem mutui junget; potest Titius contra Magistratum, vel Sempronium, simile vel aliud debitum coram suo Judice vi chirographi, suâ manu subscripti, petentem, excipere, ac petere, ut ipsi ulterior mutui probatio injungatur per citatum titulum & principium: quod quisque Juris &c. Schacher in *Collegio præct. ad cit. tit.* Miller ad Struv. exercit. 4. th. 84. lit. a.

Imò si una provincia vel civitas 190 prohibeat, ne hereditates ex toto vel ex parte in aliam civitatem aut provinciam transferantur; hæc adversus illam utitur jure retorsionis, & in simili casu translationem hereditatis negat. Struv. cit. th. Miller d. l. Stryck in *usu mod. ad cit. tit. §. 2. & seqq.*

Ex parte subjecti passivi Jurisdictione produ-191 cit obligationem parendi mandato & præcepto jus dicentis; eumque, qui obtemperare recusat, reddit obnoxium poenæ per textum in l. un. in pr. ff. d. 1. Si quis jus dicenti non obtemperaverit: ibi omnibus Magistratibus (exceptis Duumviris) permittitur est, Jurisdictionem suam pœnali Jndicio defendere. Conferatur Struv. d. exercit. th. 86. & Miller ibid.

Quod si 192 quis eò temeritatis fuerit prolapus, ut, quæ juris dicenti, seu perpetuo Jurisdictionis causâ, in albo Prætoris, seu dealbata tabula, vel (hodie saltem) in quolibet edicto suo pro-

grammate publico vel concepta vel publicata sunt, dolò malò corrumpere sustineat, actione de albo corrupto ad 500. aureos à quocunque de populo intra annum conveniri potest l. si quis 7. in pr. ff. h. r. & ibi Interpretes. 193. Alia Magistratus decreta vel jussa, quibus non in perpetuum, sed ad tempus, aut unâ vel al-

terâ vice quidpiam præcipitur aut prohibetur, si quis corruerit, non autem hæc actione, sed arbitrariâ, noxæque correspondente poenâ coercetur arg. l. de his 1. §. 1. in fin. ff. de Effractorib. & ibi Brunnem. num. 3. Clariss. D. Franz ad tit. Instit. de Ad. p. 14. sect. 1. num. 6.

### §. II.

#### Quibus remediis Jurisdictione defendatur in petitorio?

194. Quando aliquis Jurisdictionem quoad illius proprietatem seu dominium vel remedium habet, actionem confessoriam & negatoriam. Vel enim, negante, impediente, aut prohibente aliò, akerit sibi Jurisdictionem in loco alio competere; vel, aliò Jurisdictionem sibi injussè arrogante, negat, Jurisdictionem illi concessam. Primò casu instituit actionem confessoriam; alterò negatoriam.

195. Hæc siquidem actiones, licet directè pro servitutum quasi-vindicatione sint proditæ, possunt tamen ex communissima & receptissima sententia pro aliorum quoque jurium Corporalium assertione vel defensione utiliter usurpari. Welenbec. ad tit. ff. h. r. Bocerus de Jurisdictione. cap. 10. num. 8. Schneidewin. ad §. aquæ 2. Inst. de action. num. 10. Samuel Stryck de action. forens. sect. 2. membro 4. §. 5. Lauterbach. ff. h. r. §. 49. Miller ad Struv. cit. exercit. 4. th. 82.

196. Quæres autem I. quid ab actore, confessoriam aut negatoriam movente, probandum sit?

Resp. I. in actione confessoria allegandum, & probandum esse titulum, seu unum ex modis, quibus Jurisdictione acquiritur. Ratio est: tum quia quilibet fundamentum intentionis suæ probare tenetur l. cit. l. in exceptionibus 14. in pr. ff. de Probat. tum quia, qui jus in alieno præten dit, illius legitimam constitutionem demonstrare debet arg. l. si in adibus 9. & l. si sibi 10. Cod. de Servitut. tum quia Jurisdictione est qualitas aliqua, non à natura insita, sed ab extrinseco & per accidens acquisita; ideòque ab allegante probanda. Miller ad Struv. cit. th. 82. Stryck cit. membr. 4. §. 2. Quæ verò ratione probatio Jurisdictionis fieri debeat, tradit Welenbec. consil. 181. à n. 12. & consil. 339. à n. 8.

198. Resp. II. in actione negatoria probandam esse ex parte actoris præsumptivè proprietatem vel quasi-territoriò aut districtibus; ex parte rei conventi molestationem, turbationem, aut prætensionem Jurisdictionis incompetentis. Ratio delimitur ex l. si quis autem 8. §. 3. ff. si Servitus vindic. ubi, quod de servitutibus est constitutum, ex paritate rationis ad alia jura incorporalia extenditur.

199. Quæres II. an is, qui actionem confessoriam instituit, teneatur probare titulum Jurisdictionis, quando est in quasi possessione Jurisdictionis? Negat Lauterbach ad cit. tit.

ff. si Servit. vindic. §. 4. ac duplicem pro se textum allegat, scilicet cit. l. si quis autem 8. §. 3. ff. eod. tit. & l. si priusquam 15. ff. de N. O. N. Ratio esse potest: quia, qui possidet, ab onere probandi liberatur. Sed probabilius asserunt firmant Struv. Exercit. ad pand. 13. th. 44. Miller ibid. lit. a. Stryck cit. loc. §. 2. ex ratione, mox danda: quia, sicut fundus præsumitur esse liber, ac immunitus à servitute: ita & locus proprius ab alterius Jurisdictione exemptus.

Nec reclamant textus oppositi. Primus 201 quippe in proxima questione ex nov. 210. & seqq. solutionem recipiet. Alter verò 202 secundum communem DD. explicationem, quam pandit Brunnem. in comment. ibid. longè alium casum deciderit: nimirum in confessoria vel negatoria actione, si reus sit contumax, officio Judicis cum cogendum esse ad cautionem, se nihil innovaturum, donec de jure suo docuerit, & actoris partes sustinerit. Quæ explicatio supposita, non perspicua, quale argumentum pro opinione Lauterbachii formari possit.

Quæres III. an, si quis actionem negatoria 203 riam instituat, ac adversarius in quasi-possessione Jurisdictionis existat, probare debeat, territorium suum, seu locum à prætenâ Jurisdictione liberum esse?

Quæstionem hæc gravissimè controversam esse, constat ex iis, quæ de actione negatoria in simili de servitutibus scribit Stryck cit. l. §. 4. Nec sine ratione. Pro actore 204 re siquidem, quod ab onere probandi sit exemptus, stant Pacianus de probat. lib. 2. cap. 20. num. 8. Richter decis. 98. n. 61. Brunnem. ad l. si in adibus 9. Cod. de servitut. Miller ad Struv. cit. exercit. 3. th. 50. Stryck cit. §. 4. dicens: hæc sententiam ob autoritatem Glossæ in d. l. si quis 8. In foro appellationum merruiss.

Ratio est: quia, sicut juxta Auctores citatos, præsumptio, quæ favet libertati contra servitutem, est fortior illa, quæ favet possessioni vel quasi-contra libertatem, eò quod libertas habeat causam naturalem, servitus autem causam impositivam & adventitiam, quæ cum facti, non juris sit, non obstante possessione vel quasi-probari debet: ita præsumptio libertatis contra Jurisdictionem est fortior præsumptione possessionis Jurisdictionis contra libertatem: nam & Jurisdictione, si in alieno usurpetur, speciem servitutis præferret.

Contra actorem pro reo, quod ille, non 206 sit,

iste, munere probandi libertatem distringatur, militante Antonius Faber ad tit. Cod. de servitut. def. 8. Alciati, & plures alii, quos laudat, & probat Menoch. lib. 3. presump. §. 1. n. 8. & seq. Quibus succurrit textus in cit. l. sicut 8. §. 3. ff. de Servit. vindic. ubi Ulpian. ostenditur, quoniam in materia servitutum petitoris aut possessoris vires sustineat, ait: possessoris partes sustinere, siquidem tigna immissa sunt, eum, qui servitutem sibi debet ait: si vero non sunt immissa eum, qui negat. Jam vero petitorum ad probandi munus obligatum, possessorem econtrā exemptum esse, constat ex l. circa 2. cum 14. ff. de Probat. & l. ult. Cod. de R. V.

- 207 Inter has discordes opiniones priorem an dō 1709. elegit nostra Facultas Juridica, quando in causa Juris Territorialis & Collegiarum, acriter inter Inclytam Carthusiam Buxhamensem, tanquam astrictam, ex una, & Imperialem Civitatem Ulmensem, velut eam, ex altera parte, controversā, referentē Clarif. D. Collegā de Wollem in Responso typis recedente impresso pag. 52. 61. & 62. tenuit, in actione negatoria, quā Carthusia negat, Jus Territoriale & Collegiarum ab Ulmenibus in pago Stünningen hucusque præsentum, illis competere, libertatem à Collegiis & Jure Territoriali probari non debere, tamen Civitas Ulmenis in possessione vel
- 208 quasi constituta foret. In confirmationem hujus resolutionis faciunt duo famosissimi Authores practici, Mascardus de probat. Vol. 3. conclus. I. 299. n. 3. ipseque Menochius lib. 1. consil. 75. num. 4. in eodem Responso adducti.
- 209 Robur superaddit ratio non contemnenda: quia actio negatoria non continet exemptionem à Jure Collegiarum & Jurisdictionis Ter-

ritorialis privativè, sed est mera utriusque partis negatio: at merè negationis nulla præcisè neganti, sed soli contrarium positivè affirmanti incumbit probatio per cap. bona 23. de Elect. & l. actor 23. Cod. de Probat.

Ne tamen fundamentum sententiæ posterioris dissimulare videar, ad oppositam l. sicut 8. Resp. I. Gothofred. in not. ibid. lit. b. mentem Ulpiani non fuisse aliam, quam ut declararet, in actione negatoria & confessoria unam eandemque personam subinde reperiri, quæ possessoris & petitoris officia simul subeat: si enim is, qui erat in quasi-possessione tigni immittendi, intentet actionem confessoriam, asserendū, servitutum tigni immittendi sibi deberi, utique agit, & petit, licet possideat; Aliter longè atque in rei vindicatione, in qua is, qui rei possessionem actualiter & corporaliter tenet, frustra eam vindicare nititur: quia, ut loquitur Imperator in §. retinende 4. Inst. de Interd. & civilis & naturalis ratio facit, ut alius possideat, & alius à possidente petat. Hæcque est specialitatis ratio, ob quam cit. l. sicut fuit proposita.

Resp. II. si, datō non concessō, Ulpianus 212 decidere voluisset, quasi-possessionem in servitutibus possidentem relevare à probatione, eam decisionem non de quacunque possessione, sed longè tempore continuatā, exaudientiam esse, conformiter l. sicut 10. in pr. §. d. t. ubi idem Ulpianus decernit, ei, qui diuturnō tempore & longā quasi possessione aquam duxit, non esse necesse docere de jure, quō aqua constituta est, veluti ex legato vel alio modo: quoniam lapsus tanti temporis est locū tituli per textum ejusdem Ulpiani in l. sicut 1. §. ult. ff. de Aqua & aqua pluv. arcenda.

§. III.

Quibus remediis Jurisdictio defendatur in possessorio?

- 213 Quando Jurisdictio, antecederet jam habitā, & quasi-possessā, ab alio infestatur, aut impeditur; multū interest, an solum illius exercitium & usus turbetur, vel molestetur; an verò is, qui in possessione erat, planè deiciatur, & spoliatur Jurisdictione? Priore casu duplex remedium suppetit. Primum est jus & facultas repellendi ac repimendi turbatorem; alterum est interdictum uti possidetis. Primum remedium præscribunt Wfenbec. consil. 33. n. 1. & seqq. Menoch. consil. 230. n. 84. & seqq. Boccr. de Jurisdict. cap. 10. n. 6. Obrecht de Jurisdict. lib. 3. cap. 25. n. 9. Illustrif. D. Fridericus L. B. ab Andlern Jurisprud. publ. lib. 2. tit. 5. n. 28. & colligitur ex cap. olim causam 12. de Restit. spoliat. l. ut vim 3. ff. de J. & J. l. prator ait 1. §. 27. l. quod est 3. §. 9. ff. de Vi & vi armata l. restit. 1. Cod. Unde vi, in quibus locis habetur, vim vi repellere, ac violentiam violentiā reprimere, omni Jure licitum esse.
- 215 Alterum remedium, etsi è medio tollant non pauci cum Bocero cit. l. n. 2. Obrecht d. cap. 25. n. 11. Paurmeister de Jurisdict. cap. 29.

n. 10. & seqq. existimantes, nec possessionem Jurisdictionis, nec consequenter interdictum uti possidetis, utpote pro defensione possessionis conceptum, Juri Romano probari per textum in l. ait prator 1. §. 1. & 8. ff. Uti possidetis. Horum tamen opinio, & textus, in quo fundatur, tantummodò procedit de interdicto directo, non autem de interdicto utili, utpote quò quasi-possessionem jurium incorporalium defendi posse, non solum textum Canonicus in cap. licet causam 9. de Probat. circa fin. sed etiam textus Civilis in l. sicut 8. §. 5. §. sed & interdictum uti possidetis ff. de Servit. vindic. clarissimè demonstrat: docentque cit. D. ab Andlern d. n. 28. Lauterbach h. t. §. 49. Stryck de action. forens. sect. 2. membr. 2. §. 10. & 14. & ipsi Authores contrarii hoc remedium saltem de consuetudine hodierna approbatum fatentur.

Cum eodem interdicto convenit decretum 218 mantinentia, quò Judex competens eum, qui in quasi-possessione Jurisdictionis est, contra turbatores mandatis penalibus manuet; & decretum inhibitionis, quò turba-

turbatores Jurisdictionis ab ulteriori molestia 219 & turbatione prohibeatur. Differt tamen interdictum uti possidetis à decreto mantinentia & inhibitionis quòd in illo processui ordinario aut summario; in isto summario suo momentaneo possessorio sit locus, ac Judex, ad desiderium supplicantis, præmittat monitorium, & adversario injungat, ne supplicentem ulterius gravet, vel causas sui juris intra præfixum terminum Judici in scriptis significet; quò factò, si citatus non compareat, aut causam non factæ partitionis non doceat, in inhibito confirmatur, eoque ipsò in multam inhibitioni insertam incidit; supplicans verò in sua possessione confirmatur, & tamdiu defenditur, donec adversarius in possessorio ordinario vel petitorio aliud evicerit. Stryck membr. 2. §. 11. & seq.

220 Posteriore casu, quando videlicet aliquis dejectus est de quasi-possessione suæ Jurisdictionis, competit I. utile interdictum unde vi arg. cap. sollicito 2. cap. in literis 5. cap. conquere pter 7. cap. ex transmissa 8. cap. olim inter 17. de Restit. spoliat. l. quod est 3. §. 13. 15. & seqq. ff. de Vi & vi arm. Stryck cit. l. §. 19. Et licet Bocerus n. 3. Obrecht n. 50. Paurmeister n. 16. & seqq. ubi supra de sola consuetudine, non etiam de jure Romano, hoc interdictum respectu Jurisdictionis proditum esse, velint arg. l. prator ait 1. §. 3. & seqq. ff. d. t. ubi ad solas res soli idem interdictum restringitur; nil tamen efficiunt: quia textus in n. priori contrarium evidenter ostendunt; ac textus in cit. l. prator ait de interdicto directo, non etiam utili, loquuntur.

221 II. datur remedium redintegrandæ possessionis ex can. redintegranda 3. Ill. q. 1. uti & conditio ex cap. sicut contingit 18. de Restit. spol. quæ tamen remedia cum priore ferè coincidunt, nisi quòd contra tertium possessorem, si violentæ dejectionis habeat notitiam, æquè ac contra dejectorem moveri possint. Bocerus d. l. n. 4. Classman de Jurisdict. cap. 4. th. 98. lit. g. Stryck cit. membr. 2. §. 20.

III. datur actio injuriarum arg. l. injuria 223 rum 13. §. ult. ff. de Injur. quia, quò alterum prohibet, jure suo volentem uti, injuriam facit. Wfenbec. consil. 96. n. 6. Bocerus d. cap. 10. n. 5. Obrecht d. cap. 25. n. 46. qui tamen in n. 47. consultū censet, si hæc actio potius omittatur, quam infestatur: eò quòd requirat probationem dolosæ turbationis, quæ tam expedita & securā non est, ut probatio simplicis turbationis.

Quæres: quid probare teneatur, qui interdictum utile uti possidetis; aut utile interdictum unde vi intentat?

Resp. I. in interdicto uti possidetis tria probanda esse: ex parte rei turbationem seu molestationem; ex parte actoris possessionem & titulum. Ratio prioris est: quia turbatio est fundamentum intentionis, ob quam interdictum uti possidetis movetur. Ratio posterioris est: partim quia possessio est facti; sicque probanda, non presumenda: partim quia Jurisdictio & Regalia, cum restituantur Juris contra se habeant, titulum pro coloranda & justificanda possessione desiderant, arg. l. inde etiam 3. §. 13. ff. de lim. adque priv. l. ait Prator 1. §. ult. ff. de Aqua quorid. & efflu. cap. Episcopum 1. de Prescrip. in 6. Menoch. 3. Remed. retin. num. 590. Mascardus de Probat. conclus. 1371. n. 76.

226 Moribus tamen & consuetudine Germanicæ titulum non esse probandum, relatis aliis, & allegatò præjudiciò Camera perhibet Obrecht cit. cap. 25. n. 45. fortassis, quia ex eo tempore, quò Jurisdictio facta est patrimonialis, atque ad quoscunque successores transitoria, Jus consuetudinarium non tam resistit, quam assiluit Jurisdictioni: quod in dubio relinquo.

227 Resp. II. in remedio recuperandæ possessionis, seu interdicto unde vi duo probanda esse: possessionem ex parte actoris, quòd illa adfuerit tempore dejectionis; & violentam dejectionem ex parte rei arg. l. prator ait 1. in pr. & §. 23. ff. de Vi & vi arm. Obrecht ubi supra n. 51. & seq.

CAPUT II.

De Jurisdictione Summa Ecclesiastica.

Prima ac præcipua Jurisdictionis species est Jurisdictio Summa, quæ penes Ecclesiam residet. Hanc, ceu unicam Juris Ecclesiasticæ basim, eò ferventiùs propugnare decrevi, quò vehementiùs ab A catholicis, non Theologis solum, sed & Juristis ac Politicis, impugnatur. Siquidem, ut probè advertit Clarif. D. P. Paulus Mezger Theol. Scholast. tract. 10. disp. 14. in hoc uno novatores concordant, cæterā inter se adversissimi, quòd unò ore Supremum & Vicarium Ecclesiæ Caput, cum sua Jurisdictione, expunctum velint; nunquam tuitores se in errore suo futuros rati, ac ubi Controversiarum Judicem & Arbitrum veritatis aut vellunt, aut evellunt. Unde D. Cyprianus Epist. 55. ad Cornel. Papam, non diunde, inquit, hæresis oborta sunt, aut nata sunt schismata, quam inde, quòd Sacerdosi DEI non obtemperant, nec unus in Ecclesia Sacerdos, & ad tempus Judex vice Christi cogitatur &c.

## SECTIO I.

## De Natura, Existentia, &amp; Origine Jurisdictionis Summæ Ecclesiasticæ.

## SUMMARIUM.

1. Jurisdictio Summa Ecclesiastica vocatur aliâs Potestas Clavium. 2. Primatus Petri. 3. Officium Pastorale. 4. Vicariatus Christi. 5. Regale Sacerdotium. 6. Accipitur dupliciter. 7. Primo pro potestate regendi Ecclesiam. 8. Secundo pro facultate jus dicendi. 9. Utraque potestas est absoluta. 10. Illimitata. 11. Ac ad finem supernaturalem ordinata. 12. Datur Jurisdictio Summa Ecclesiastica. 13. Primarius. 14. Exertitur responsa. 15. Secundarius. 16. Ratio tertia. 17. Notantur Sæcularii. 18. Adducitur argumentum Puffendorffii. 19. & seqq. Pessundatur. 25. Resolutio novis rationibus stabilitur. 25. Hæc Jurisdictio immediate descendit à DEO. 26. & seqq. Probatur auctoritate. 31. Opponitur paritas cum Jurisdictione Politicâ. 33. Redditur disparitas. 32. Additur nova instantia de Electione Prælatorum Ecclesiasticorum. 34. & seqq. Dilluatur.

## §. I.

## Quid significet Jurisdictio Summa Ecclesiastica?

1. Jurisdictio Ecclesiastica, quam Summam vocamus, distincta sibi nomina, tum in SS. Literis, tum in scriptis SS. PP. tum in SS. Canonibus vindicatur. I. in Evangelio S. Matthæi cap. 16. nuncupatur Potestas Clavium, utpote facultate, claudendi & referandi fores beatæ æternitatis, instructa. Quod pertinet textus in cap. in nova 2. & seqq. Dist. 21. cap. quodcumque 6. cap. omnibus 20. XXIV. q. 1.
2. II. dicitur Primatus Petri: eò quòd Petro, Apostolorum Principi, in citato textu Matthæi primitus collata, ac in successoribus ejus ad moderna usque tempora fuerit continuata. Hucque respiciunt textus in cap. sic omnes 2. cap. enim verò 4. Dist. 19. cap. omnes. 1. & seqq. Dist. 22. cap. aliorum 14. cap. ipsi sunt 16. & 2. seqq. IX. q. 3. cap. manet 5. cap. hæc est 14. cap. cum beatissimo 16. cap. loquitur 18. d. XXIV. q. 1.
3. III. nominatur Officium Pastorale ex illo Joannis 21. *paste ovus meas*: quia fideles, velut empta, ac pretiosè Christi sanguine ex faucibus infernalibus erepta oviculæ, ab eo, qui Summâ in Ecclesia Jurisdictione fulget, & pacisciendi & protegendi sunt. Et huc applicari potest illud 2. Reg. 3. y. 2. *Tu* (Davidem intellige) *pastor populum meum Israël, & tu eris Dux super Israël.* Item illud 1. 4. y. ult. *dico Gyro, pastor meus est Christus.* Item Exirav. *nam sanctum de M. & O. inter commun. ibi: unum ovile, & unicum esse Pastorem.*
- IV. appellatur Vicariatus Christi: cum enim non propriè, sed Christi nomine, potestas ligandi atque solvendi Ecclesie sit relicta, rectè Vicariatus Christi Summa in Ecclesia potestas audit, juxta textus in cap. inter corporalia 2. cum 2. seqq. de Translat. Episcop. cap. novit 13. de Judic. cap. per venerabilem 13. y. *is verò Quis illi sit legit. prop. fin.*
- V. vocatur Regale Sacerdotium, non eò quòd duntaxat modò, quò prædicatum illud reliquis etiam Sacerdotibus tribuitur 1. Petri 2. sed per excellentiam: quia, sicut Regia potestas Superiorem in suo necesse genere; ita Summa potestas Ecclesiastica altiore in terra non recognoscit: nam Summa Sedes, unanimiter attestantibus Patribus, in causa Marcelli congregatis, in cap. nunc autem 7. Dist. 21. à nemine judicatur.

## §. II.

## Quid sit Jurisdictio Summa Ecclesiastica?

6. Summa Jurisdictio, quam variis encomiis in §. anteced. exornavimus, dupliciter potest accipi. I. pro potestate regendi Ecclesiam; secundo pro facultate jus dicendi in causis Ecclesiasticis.
7. Priori modò accepta nihil aliud est, quàm absoluta & illimitata potestas, dirigendi actiones fidelium in finem supernaturalem. Atque in hæc consideratione nonnulla de Jurisdictione Summâ Ecclesiasticâ delibavimus in *tract. de Jure Legali*, quando Potestatem Legislativam Ecclesiasticam in cap. 5. sect. 2. ad Juris bilancem appendimus.
8. Posteriori modò accepta Jurisdictio describitur potest, quòd sit absoluta & illimitata potestas, jus de causis fidelium dicendi, ad super-
- naturalem illorum felicitatem. In quo intellectu frequentius in præsentî Jurisdictione Ecclesiasticâ usurpabitur.
- Dixi in utraque descriptione I. *absoluta*. Non enim ab ullo hominum pendet Ecclesiastica & Suprema Potestas, vel in productione, vel in exercitio, per ea, quæ cit. cap. 5. d. n. 61. conclusa sunt, & paulò post reassumentur.
- Dixi II. *illimitata*. Quod nõ ita velim intelligi, quasi Divinæ & Naturalis Legis trames excedere possit hæc Jurisdictio (hæc namque) Lege quilibet homo inferior, superior est nemo) sed quòd limites & fines Legum humanarum, quibus circumscriptur, neutiquam patiatur arg. eorum, quæ cit. cap. 5. d. n. 138. scripta habentur.

Dixi

17. Dixi III. in *finem & felicitatem supernaturalem*. Hocque intimum & internum discipulum est, quò Jurisdictio Ecclesiastica à Politicâ feceritur: cum illa scopum spiritua-

lis & supernaturalis beatitudinis; ista centrum naturalis & politicæ felicitatis intendat, attendatque, prout jam supra in cap. 1. num. 96. subnotatum erat.

## §. III.

## De tunc Jurisdictione Summa Ecclesiastica?

12. Ari Jurisdictionem Summam in Ecclesia, quæ ad omnes fideles in toto, quâ latè excurret, orbe existentes, porrigatur, de fide est; ac colligitur manifestè ex textibus, tum in §. 1. hic, tum in cit. cap. 5. de Jure Leg. à n. 61. allegatis. Docentque eum unanimi Catholicorum Petrus Bertrandus de orig. Jurisdictionis. q. 2. num. 3. Ludov. Molina de J. & J. tr. 2. disp. 21. n. 2. & seqq.
13. Ratio est I. quia in qualibet Republica Politicâ datur Summa Potestas Politicâ, quâ subditi, communis subditi causâ, in unum cœtum coalescentes, & regantur ad finem naturalem; & si aberraverint, reducantur. Ergo etiam in Republica Ecclesiastica datur Summa Potestas Ecclesiastica, quâ fideles, ad promerendam felicitatem internam in unum congregati, & qualiter actiones suas influant, docentur; & si à tramite æquitatis deflexerint, corrigantur, corripiantur.
14. Negabis fortè: dari Rempublicam Ecclesiasticam; falsò Lutheri aut Calvinii dogmata delusus, qui vel apertè negarunt, vel saltem in dubium vocarunt Ecclesiæ visibilibus existentiam. Sed convinceris luculentis Scripturæ testimoniis Matthæi 16. y. 18. ibi: *super hæc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Matthæi 18. y. 17. ibi: *sic non audierit, dic Ecclesie: si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus.* Actor. 20. y. 28. ibi: *attendite vobis, & universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos, regere Ecclesiam DEI, quam acquisivistis sanguine suo.* Plura testimonia & rationes dabit Clariss. P. Mezger cit. tr. disp. 17. art. 3. §. 1. & Eximius P. Marinus Panger, ex Ord. FF. Minorum S. Francisci Recollect. SS. Theolog. Lector Jubilatus in quest. controversæ 4. assert. 4.
15. Ratio est II. quia in Evangelio Ecclesia Catholica comparatur *Mari Math. 13. y. 47.* assimilatur *Civitati Math. 5. y. 14.* æquiparatur *Regno diffuso Psal. 71. y. 8.* parificatur cum *Luce Math. 5. y. 15.* Sed Mare Naucerum, qui clavum teneat; Civitas Rectorem, qui fasces habeat; Regnum Regem, qui scepra roter; Lux Solem, a quo lumen eminet, desiderat. Ergo etiam Ecclesia Jurisdictionem & jus dicentem postulat.
16. Ratio est III. quia in doctrina morum & fidelium per magnæ & permultæ emergunt controversiæ, lites, dubia; ad quæ decidenda, opus est iudicio & iudice, qui Summam & universalem potestatem habeat; & ultra quem nullus dubitare, nullus appellare audeat. Nam spiritus privatus periculosus, varius, & incertus est, juxta illud Prov. 14. y. 12. *est via, quæ videtur homini justa, novissima autem ejus de-*

ducit ad mortem. S. Scriptura, præterquam quòd ultimam auctoritatem decisivam per Ecclesiam consequatur, ex illo Augustini: *non crederem Evangelio, nisi Ecclesia auctoritas me moveret*; insuper multa difficilia, & intellectu ardua complectitur, teste D. Petro 2. cap. 3. y. 16. ibi: *sunt quædam difficilia intellectu, quæ indolenti & insubstanti deprecantur.* Adeoque Interpretem authenticum & infallibilem efflagitat. Ergo est Jurisdictio talis penes Ecclesiam, quâ jus in singulis causis, circa mores & fidem controversis, dicatur.

Contra hæc Catholicam Veritatem turmatim insurgunt Heterodoxi, Reinking de Regim. Ecclesiæ. & fauch. lib. 3. class. 1. cap. 10. Paurmeister de Jurisdictione. lib. 3. cap. 3. à n. 48. Swederus Introduct. ad Jus Publ. part. special. sect. 1. cap. 5. & alii sine numero, è quibus non postremus est Samuel Puffendorf, qui in sua Introduct. ad Histor. universalem statim in limine, ubi de *Monarchia Pontificis Romani*, tot ferè convitiis, quot apicibus, tot commentis, quæ per periodis, dislerit, agnoscat quidem aliquam Jurisdictionem Ecclesiasticam, objectivè talem; eam ramen subjectivè & entiativè non distinguit à Jurisdictione Politicâ, dum cuilibet Principi, Imperio Politicum habenti, jus circa sacra & spiritualia vi Superioritatis Territorialis aut Principalis concedit. Argumentatur ille sic. Neque ex natura Religionis ut sic; neque ex genio Christianæ Religionis; neque ex Divina institutione proficiscitur, quòd Jurisdictio Ecclesiastica & Politicâ separata sint. Non primum: quia nil impedit, quò minus quis populum ad Divina simul & Politicâ dirigat: quippe cum ab initio quilibet paterfamilias in suos domesticos utramque potestatem exercuerit, quæ deinde, dum plures familiæ in communiatem perfectam coiverent, ad caput communitatis transtulit. Non secundum: quia Christianæ Religionis Principes ea, quæ ad instructionem fidelium in fide pertinent, viris doctis & eruditis demandare possunt; supremâ potestate in spiritualibus sibi reservatâ. Non tertium: quia in SS. paginis idoneum aliquod testimonium non reperitur.

Sed contra imbelles & elumbe hoc argumentum est, quòd non solum Divina institutio, de qua in §. seq. sed etiam natura Religionis (nisi ita in Legem Naturæ excipias, in quo, cum pauca admodum hominibus fuerint propolita ad credendum explicitè, tanta non sicut necessitas, unum Principem, qui toti præest Ecclesiæ, constituendi, ut notat Molina de J. & J. d. tract. 2. disp. 21. n. 7. & 14.) tum genericâ tum specificâ Jurisdictionem

Sss 2

nem

nem Summam Ecclesiasticam, quæ ab uno aliquo, & alio, quam Principe laico, exerceatur, possit. In primis enim qualibet Religio, ut sana & sancta sit, unitatem desiderat: quia, cum creatura sit Spiritus Sancti, qui est Spiritus unitatis, debet & ipsa una esse. Atque ubi Jurisdictio Summa Ecclesiastica multiplicatur, tollitur unitas, tótque sunt diversa circa res fidei sentia, quot capita, veluti satis ipsimet Lutherani & Calvinistæ suomet exemplis sunt experti; ipseque Puffendorf non diffidetur, dum in cit. loc. pag. m. 105. sic scribit: „ itaque orti inter eos (Protestantes videlicet) alteratione, quam qui pro sua auctoritate controversias dirimeret, nemo existeret, & in sua quisque sententia præfractè persisteret, intestina quædam partium contentio esse cepit, ac furare Protestantibus, communis hostis (Catholicos intelligit) oblit, in sua ipsorum viscera cœperunt. Ea res affectus Pontificis probabilem erimandi causam dedit: hæreticos, postquam secesserunt ab Ecclesia Romana fecerunt, in tantum errorum labyrinthum incidisse, ut nec, quibus se induissent erroribus, expedire sese, nec fidei suæ ac dogmaturam rationem explicare ipsi possent. Permulti quoque Evangelii nomine ad summam improbitatem & nequitiam abutebantur, perinde quasi libertas in effrenata quadam licentia & vitiorum omnium colluvie consisteret. Sic ille

20 Nec verum est, quemlibet patremfamilias (nisi forsitan, ut antea dictum, statum Legis Naturæ excipias) in sua quoad sacra in suos domesticos habere: oritur namque jus illud ex altiori potestate, nec necessario, sed liberè; atque adeò illis solum disponere de sacris cum auctoritate licet, quibus ex Divina libertate & liberalitate datum est.

21 Jam, quòd Religio Christiana & Catholica Jurisdictionem desideret, quæ à persona Ecclesiastica exerceatur, dicitur in §. 1. seq. scilicet. quòdve illa Jurisdictio sit universalis ac indivisa, testatur sole clariora Scripturæ loca, in quibus unitas Fidei, Sacramentorum, Capituli, Obediencie &c. requiritur. Nam ad Ephes. 4. §. 4. & 5. dicitur unum esse corpus, unus spiritus, una fides, una spes, unus Dominus, una sententia, unum baptisma. Eòd. locò §. 3. adjubentur fideles solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis. Joan. 10. §. 17. pronuntiatur: fiet unum ovile & unus Pastor. Actor. 4. §. 32. refertur: multitudinis credentium erat cor unum, & anima una. 1. ad Corinth. cap. 1. §. 10. scribit Paulus: obsecro vos Fratres, per nomen Domini Jesu Christi, ut id ipsum dicatis omnes, & non sint in vobis schismata: sitis autem perfecti in eodem sensu, & in eadem sententia. Sed, ubi Jurisdictio & Po-

testas Summa in plures dispergitur, nulla Fidei, Sacramentorum, Capituli, Obediencie &c. unitas, sed mera schismata, scissura, discordia, confusiones, errores sunt: quemadmodum propria cum confusione fatentur, & tacite ingemiscunt Protestantes, è quorum uno nuperimè tales literas vidi. Ergo &c.

Quòd autem instructio in fide alius demandari possit, reservata Jurisdictione penes Supremum Principem, non abnuo, si Princeps ille sit unus, & Ecclesiasticus, à quo potestas & omnis doctrina petatur; & ad quem omnia, quæ circa fidem & Religionem occurrunt, dubia, referantur. Nam, ut accommodatè ad propositum discitur D. Cyprianus in tract. de unitate Ecclesie, relatus in cap. loquitur 18. XXIV. q. 1. Episcopus unus est, cuius à singulis in solidum pars tenetur. Ecclesia una est, quæ in multitudinem latius incrementò fovenditatis extenditur: quomodo solis multi radii, sed lumen unum: & rami arboris multi, sed robur unum, tenaci radice fundatum: & cum de fonte uno rivus plurimi desuunt, numerus licet diffusus videatur exundantis copia largitò, unitas tamen servatur in origine. Avelle radium solis à corpore: divisionem lucis unitas non capit. Ab arbore frange rami: fructus germinare non poterit. A fonte praeclidit rivum: praeclusus arefcet. Sic & Ecclesia, Domini luce perfusa, per orbem totam radios suos porrigit: unum tamen lumen est, quòd ubique diffunditur; nec unitas corporis separatur. Ramos suos in universam terram copia libertatis extendit; profuentes largiter rivus latius pandit: unum tamen caput est, & origo una, & una mater fecunditatis succulentibus copia. Illius factus nascimur; illius lacte nutritur: spiritus eius animamur. Adulterari non potest sponsa Christi: incorrupta est, & pudica. Unam domum novit: unius cubiculi sanctitatem casto pudore custodit.

Cæterum contra Puffendorf & sequaces plurima adhuc argumenta militant. Et I. quidem, quòd Jurisdictio Sæcularis, cum à natura habeatur, nequeat esse unacum Jurisdictione Ecclesiastica, quæ naturæ vires & potentiam longè transcendit. II. quòd utraque Jurisdictio differat essentialiter, nec una ex altera inferatur. III. quòd Jurisdictio temporalis indirectè subit Ecclesiastica; neque ista illius, sed potius illa istius sit accessoria & subsidiaria. IV. quòd nefas semper fuerit Regibus & Principibus, sacris fide negotiis immiscere, veluti Ozias, incensum Domino volens adolere, ac propterea leopà percussus, nec non templò & populò exclusus, testatum facit 2. Paralip. 26. Quæ & multa alia ulterius pondus & confirmationem ex dicendis sibi conciliabunt. Vide Molinam cit. l. n. 13. & 2. seqq. Petrum Bertrandum cit. tr. de orig. Jurisdict. quest. 2. & 3.

### §. IV. Unde Jurisdictio Summa Ecclesiastica descendat?

25 Resolutio ex dictis plana & perspicua est: cum enim Ecclesia Catholica sit opus dexteræ Excelis, sit ovile Christi, sit corpus Christi, & sponsa Christi &c. oportet potentiam, quæ est in Ecclesia, à Christo immediatè descendere. Ita constans & perpetua Catholicorum traditio, cum Bertrando cit. q. 2. num. 4. Molina cit. disp. 21. n. 11. & DD. in seq. secl. recitandis; quæ

26 Confirmatur I. Qui excitat novam Rempublicam, erigit provinciam, instituit civitatem &c. Jurisdictionem quoque & ea, quæ ad perfectam communitatem consequuntur, impertiri solet. Ergo & Christus, novum fidei cœtum in unitate fidei congregandò, potestatem ei conformem impertiri debuit.

27 Confirmatur II. Jurisdictione, quæ transcendit naturam, nequit ab alio, ac qui supra naturam est, immediatè proficisci. Sed Jurisdictione, quæ est penes Ecclesiam, transcendit naturam, hòc ipso, quòd nec à lumine naturali percipitur, nec circa objecta, Naturæ cognita, versetur, nec effectus, intra spheram naturæ contentos, producat, nec felicitatem naturalem quæ talem respiciat. Nam principia nostræ fidei non penetrat naturæ lumen; gratias spirituales, remissionem peccatorum, excommunicationem &c. suos intra sinus naturæ non continet; unionem cum DEO per gratiam & gloriam naturæ non æstimat &c. Ergo Jurisdictione Ecclesiastica proficiscitur immediatè ab eo, qui supra naturam est. Ergo à DEO.

28 Confirmatur III. Jurisdictionem, quæ competit de factò Ecclesie, colligimus ex illo Matthæi 16. §. 19. tibi dabo claves regni calorum; quocumque ligaveris super terram, erit ligatum & in cælis, &c. Ergo, qui hæc verba dixit, is Jurisdictionem Ecclesiasticam contulit. Sed Veritas incarnata, Christus Jesus, hæc verba protulit. Ergo is contulit Jurisdictionem.

29 Confirmatur IV. Jurisdictione, quæ exercetur ab Ecclesia, exercetur Vicariò illius nomine, qui est Caput invisibile Ecclesie. Sed invisibile Caput Ecclesie est Christus: nam, teste Apostollò ad Ephes. 1. §. 22. ipsum dedit Caput supra omnem Ecclesiam, quæ est corpus ipsum; & ad Ephes. 5. §. 23. Vir Caput est mulieris, sicut Christus Caput est Ecclesie. Ergo Jurisdictione ab

Ecclesia Christi nomine exercetur. Ergo provenit immediatè à Christo: partim quia non tam propria est Ecclesie, quam Christi: partim quia Vicarius DEI non potest Jurisdictionem ab homine nasci.

Confirmatur postremò ex innumeris ferè textibus in cap. si Romanorum 1. cap. sic omnes 2. cap. enimverò 4. Disp. 19. cap. in novo 2. cap. quomodo 3. Disp. 21. cap. omnes 1. cap. sacrosancta 2. Disp. 22. cap. in nomine 1. Disp. 23. cap. cum ad verum 6. cap. duo sunt 10. Disp. 96. cap. inter corporalia 2. & seqq. de Translat. Ep. cap. sollicita 6. de M. & O. cap. novit 13. de Judic. in quibus textibus satis superque immediatè Jurisdictionis Ecclesiasticæ origo declaratur.

Næque dicas I. Summa potestas, quæ respicit splendens Summi Principes temporales, est immediatè à populo ex dictis de Jure Legal. cap. 7. num. 41. Ergo etiam Summa potestas, quæ decoratur Ecclesia, est immediatè à fidelibus. Nam consequentiam hæc illegalem esse, constat ex dictis cit. loc. idè enim potestas immediatè transferitur à populo ad Principem: quia à DEO, ut Authore Naturæ, immediatè collata est cuilibet communitati perfectæ; proindeque, si penes Principem existat, immediatè provenit à populo. Atqui potestas Ecclesiastica, veluti rectè distendit Molina cit. supra disp. 21. sub num. 14. non ab Ecclesia, sed à Christo in Ecclesia est instituta, tametsi illius applicatio ad hanc vel illam personam ex electione Ecclesie dependeat: idèoque non ab Ecclesia, sed immediatè à DEO in Vicarium Christi transfertur.

Neque dicas II. S. Pontifex, qui Jurisdictionem Ecclesiasticam exercet, potestatem suam ab electione sortitur. Ergo à Collegio Cardinalium, electionem Pontificiam peragentium. Nam & antecedens & consequens fallit. Antecedens quidem: quia S. Pontifex potestatem suam non ab electione, sed à DEL ordinatione consequitur, ut dictum cit. tract. cap. s. num. 61. & de Mod. acquir. Pralat. cap. 7. n. 690. Consequens verò: quia Cardinales, dum nomine Ecclesie perficiunt Electionem, solum personam nominant, inquam ex Divina promissione & institutione Suprema Jurisdictione mox defertur.

## SECTIO II.

### De Subjecto Supremæ Jurisdictionis Ecclesiasticæ.

#### SUMMARIUM.

36. Utrumque subjectum Jurisdictionis Ecclesiasticæ indicatur. 37. Questio de Primatu Pontificis affirmatè resolvitur. 38. Nomen Pontificis, & 39. Papa explicatur. 40. Supponitur legitime electus. 41. Primatus Petri primo ostenditur ex textu Matth. 16. cap. 42. Ex-

applicatio S. Augustini. 43. Sententia nostra accommodatur. 44. Probatur. 45. Secunda Adversariorum responsio adducitur. 46. & seq. Duplicitè responditur. 48. Ostenditur secundò Primatus Petri. 49. & seq. Efficacium Auctorum contrariarum praeludatur. 51. Ostenditur

dicitur tertio Primatus Petri. 52. & seq. Solutio adversa tangitur, & perimitur. 54. Inferius paritas potestatis Pontificia cum potestate Petri. 55. & seq. Declaratur, quod S. Pontifex sit legitimus D. Petri successor. 58. Principalis resolutio ex consensu Conciliorum roboratur. 59. Refertur Concil. Romanum. 60. Nicenum. 61. Constantinopolitanum. 62. Chalcedonense. 63. Constantinopolitanum tertium. 64. Nicenum secundum. 65. Constantinopol. quartum. 66. Lateranense. 67. Florentinum. 68. Principalis resolutio ex unitate corporis & capitis probatur. 69. & seq. Nonnulla hereticorum objecta adducuntur. 74. & seq. Diluuntur. 78. De reliquis objectionibus remissive. 79. Concilii generalis requisita. 80. Antiquitas. 81. Origo questionis de potestate Pontifici supra Concilium. 82. Sententia affirmativa Auctores. 83. Primum argumentum pro illa. 84. Secundum. 85.

Tertium. 86. & seq. Duae responsiones oppositae praestantur. 89. Quartum argumentum. 90. Quintum. 91. Sextum. 92. & seq. Prima obiectio de causa haereseos & schismatis asseritur, & expungitur. 95. Secunda de vita & moribus Pontificum producitur. 96. & seq. Renovatur. 100. Tertia de Conciliorum necessitate subvertitur. 101. Proponitur questio de Jurisdictione Pontificia supra Reges. 102. & seq. Sententia affirmans variis rationibus stabilitur. 107. Refertur argumenta adversa. 108. & seq. Distinctis responsionibus proferuntur. 114. Negatur Pontifici Jurisdictio in infideles. 115. Adstruitur Jurisdictio in haereticos. 116. & seq. Negatur, quod infideles ad fidem possint compelli. 118. Resp. ad textum Lucae 14. 119. Affirmatur, quod infideles, praedicationi Evangelii resistentes, coerceri possint. 120. & seq. In haereticos Romani Imperii non est adempta Pontifici potestas.

## §. I.

## An penes solum S. Pontificem Summa Jurisdictio Ecclesiastica resideat?

**D**E Subiecto Jurisdictionis Ecclesiasticae adurus, utrumque, & activum & passivum conjungo: hoc est, tam personas, quibus activè competet Jurisdictio; quam personas, quibus passivè Jurisdictio administratur. Sunt enim Superior & inferior, dominus & subditus, imperans & obsequens, correlativa; adeoque ne quidem in scholastica consideratione separanda.

**37** Praeripimus autem: an penes solum S. Pontificem Summa Jurisdictio Ecclesiastica resideat? quaere; atque ex principiis, quae praestantissima Universitatis nostrae sidera, Eminentissimus S. R. E. Card. & S. R. I. Princeps ad S. Gallum, Caeselinus Sfondrati in suo Regali Sacerdotio, quod sub nomine Eugenii Lombardi elucubravit; & Illustrissimus S. R. I. Princeps & Abbas Einsidensis Augustinus Reding in sua Cathedra Apostolica, quam sub nomine Auctoris Inextincta Sacri Concilii Trident. Veritatis; evulgavit; quaestionem resolvere placet affirmativè.

**38** Antequam verò resolutionem probare exordiar, praenotandum est I. S. Pontificem sicut dictum esse à praecipua potestate faciendi, vel sacrificandi: quia verbum facere tam apud Ethnicos quam apud Christianos persæpe pro sacrificare usurpatum est. D. Lorichius in *Insaurano novo Theolog. Lit. P. V. Papa n. 2.*

**39** Praenotandum II. S. Pontificem aliò nomine compellari *Papam*, quod à Graeco deductum Patrem significat. Et quamvis ab initio idem nomen commune fuerit omnibus Presbyteris; postea tamen solis Episcopis tributum; ac tandem per excellentiam soli Summo Ecclesiae Pontifici & universali Patri impositum est. Lorichius *cit. l. n. 1.*

**40** Praenotandum III. quaestionem modò verti de S. Pontifice legitime electo, eò scilicet modò, quem in *ir. de Mod. acquir. Pralat. sess. 6.*

monstravimus. Quibus praenotatis, data resolutio

Probatur I. Solus Petrus ex Apostolis Jurisdictionem Ecclesiasticam universalem & Summam à Christo accepit. Ergo solus Petrus, & qui Petri in officio successores sunt, Jurisdictionem Ecclesiasticam, universalem & Supremam, habent. Anteced. ostenditur primò. Mathaei 16. soli Petro, postquam externam fidei professionem emisisset, dictum est: *tu es Petrus, & super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam.* Ergo solus Petrus est fundamentum, in quo requisivit fructura Ecclesiae. Ergo solus Petrus est Caput, à quo pendet, regitur, & judicatur Ecclesia. Ergo solus Jurisdictionem accepit.

Neque dicas I. per *petram* non Petrum, sed Christum intelligi; sensumque recitari textus esse: *tu es Petrus, & super hanc petram, quam confessus es, aedificabo Ecclesiam meam.* Petrus enim erat Christus. Verba sunt D. Augustini *tractat. 123. in Joan.* Contra enim est: quia, **43** retentà hâc interpretatione, firmatur argumentum praecedens. Voluit quippe Servator Divinus duplex fundamentum Ecclesiae suae recens exstructae significare, remotum ac principale; & proximum ac minus principale. Remotum & principale fundamentum est Christus, de quo Apostolus Paulus ait: *fundamentum aliud (Ecclesiae) non nisi ipse praeter id, quod positum est, quod est Christus.* I. Corinth. 3. v. 11. Proximum ac minus principale est Petrus, qui in eod. loco mox dictum est: *& tibi dabo claves Regni Caelorum &c.* Quia enim Christus Ecclesiam voluit esse perpetuam, ac usque in finem saeculi duraturam, primum & principale fundamentum se ipsum posuit, utpote qui est *Sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech, Psal. 109. v. 4.* Quia tamen etiam Ecclesiam voluit esse unam & visibi-

visibilem, voluit Petrum & ejus successores esse *petram* quasi proximam & minus principalem, seu subsidiariam, quâ Ecclesia proximè fulcitur, gubernetur, & defendatur. Et hujus declarationis Author est ipsemet D. Augustinus *tract. 124. in Joan.* ita de Petro dicens: *solum inter Apostolos meruit audire: tu es Petrus, & super hanc Petram &c. dignus coram, qui aedificandis populis in domo DEI lapis esset ad fundamentum, columna ad sustentaculum, clavus ad regnum.* Vid. Eminentiss. Sfondrati *Regal. Sacerd. lib. 2. §. 4. sub n. 2. p. 336.* & Illustrissim. Reding *Cathedra Apostol. art. 4. disquis. 1. §. 1. n. 7. & seq.*

**45** Neque dicas II. in Petro non solum Petri personam, sed omnes Apostolos fuisse representatos, parèmq; omnibus potestatem collatam: idque conjici posse tum ex *Epist. ad Ephes. 2. v. 20.* ibi: *super aedificati supra fundamentum Apostolorum & Prophetarum: cum ex Apocalypsi cap. 21. v. 14.* ibi: *& murus civitatis habens fundamenta duodecim, & ipsi duodecim*

**46** *novina, duodecim Apostolorum Agni.* Contra enim est I. quia, si Petri nomine totum Collegium Apostolicum, totaque Ecclesia subintellecta fuisset, sensus planè nugatorius & ridiculus foret, scilicet: *super Apostolos aedificabo Apostolos; super Ecclesiam firmabo Ecclesiam,* ut ad mentem relocatorum mox Authorum bene advertit P. Mezger *d. tract. 10. disp. 14. art. 3. §. 1. sub n. 3.* Contra est II. quia, ut verbis utar Card. Sfondrati *cit. pag. 11.* licet Apostoli dicantur fundamenta Ecclesiae, quia totò orbe terrarum Ecclesiae fundarunt, & instituerunt, istas isti, alias alii; illisque aequè, ac Petro, revelata sunt immediate à DEO fidei & Religionis nostrae mysteria, quae voce & scriptis ubique terrarum docendò, Ecclesiam fundarunt: Petrus tamen specialissimè, magnaque cum praerogativa fundamentum Ecclesiae à Christo constitutus est, quia & Caput erat Apostolici Collegii, & Pastor, non tantum delegatus ad plenitudinem caularum, ut ceteri Apostoli, sed Ordinarium, & potestatem suam ad successores suos transmiserunt; sicque non temel tantum, aut initio nascentis Ecclesiae, sed semper, & quamdiu illa duraret, fundamentum in successores suis facturus; quod omnes Catholici docent, creduntque. Audi S. Hieronymum *lib. 1. contra Jovin. licet super omnes Apostolos ex aequo Ecclesia fortissimè solidetur, tamen propterea inter duodecim unus eligitur, ut schismatis tollatur occasio.*

**48** Ostenditur primum anteced. secundo: quia soli Petro clavium potestas *cit. cap. 16.* Mathaei collata est, non nominatim aut vocatis ceteris Apostolis. Clavibus autem imperium & potestatem consignari, res non solum Juri profano in §. item *si 45. Inst. de R. D. l. clavibus 74. ff. de contrab. emptione.* sed & SS. literis *Itaie cap. 22. v. 22.* & Apocalypsi *cap. 3. v. 7.* pernotata est.

**49** Nec expedit dicere: clavium potestatem aliis quoque Apostolis in alio loco, nempe Mathaei 18. datam esse. Hanc enim responsum ex Card. Sfondrati de *Jure Legal. cap. 5. n. 80.* jam enervavimus, quòd aliud & majus sit, habere claves, quam potestatem clavium; & praeterea infringere possumus, cum Reding *d. l. n. 19.* assignandò discrimen inter modum, quòd Apostolis & Petro ligandi potestas est concessa: illis enim solum potestas delegata, seu, ut loquitur citatus Author, per modum legationis aut missionis, impertita legitur juxta verba Mathaei *d. cap. 18. mitto vos;* ac verba Pauli *2. ad Corinth. 5. v. 20. pro Christo ergo legatione fungimur;* quae tamen potestas, seu personalis, cum Apostolis extincta, neque ad successores sui transmissa: huic, id est, Petro ex adverso potestas ordinaria, ac vi muneris & Supremi Vicariatus *cit. concessa,* cum perpetuò successione jure, ad eum, qui successore est in Papatu, sit etiam successore in Jurisdictione, ut satis indicant verba: *super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, & porta inferi non prevalebit adversus eam.*

Ostenditur idem anteced. tertio: quia **51** solus Petrus ovium Christianarum Pastor esse designatus Joannis 21. & quidem tertiam vice, postquam toties ardentem in DEUM charitatem ore confestatus erat. Munus pastorale autem rectissimè denotat Summam Jurisdictionem ex *num. 2.* quòd etiam ex *cap. 34. Ezechielis, & cap. 10. Joannis evitatur,* in quorum priorè v. 23. habetur: *& suscitabo super eos Pastorem unum, qui pascat eos &c.* in posteriorè verò n. 11. & 17. de se dicit Christus: *ego sum Pastor bonus, & aliam ovem habeo, & sic unum ovile, & unus Pastor.*

Nec satisfaci, si officium Pastorale cuivis Episcopo incumbere, reponas, allegandò textum 1. Petri 5. v. 2. ibi: *pascite, qui in vobis est, gregem DEI;* & expositionem D. Ambrosii *lib. 2. de dignitate Sacerdot. cap. 2. ibi: repositum est ter à Domino: pasce oves meas: quas oves, & quem gregem tunc beatus suscepit Petrus: sed & nobiscum eas suscepit, & cum eo illas suscipimus omnes.* Enim verò nulli Apostolorum in individuo indefinita pascedi cura & officium Pastorale universale fuit delatum; licet tam ipsi, quam Episcopi, in partem sollicitudinis, & curae specialis, pro hac vel illa provincia, fuerint vocati, per *cap. ad honorem 4. de Auctor. & usurpatione;* ac tamen subordinatione ad Petrum & successores observata, ut & ipsi, tanquam electae oves, sub cura & potestate Petri & successorum essent constituti.

Antecedente sic stabilitò, sua nunc spontè sequitur prima consequentia; sequitur & secunda. Cum enim Romanus Pontifex sit successor Petri successore, ac eandem cum antecessore potestatem obtineat; non minus ille, quam iste, Suprematum in Ecclesia sortitus est.

Si cum haereticis neges, Romanos Pontifices legitimos Petri successores esse; Contra est I. quia Christus, dum Ecclesiam, à se fundatam, decrevit esse perpetuam, contra quam nec porta inferi praevallere possint; debuit quoque

quocque perpetuum Caput, quod regatur, decernere; idque non est aliud, quam Pontifex Romanus. Contra est II. quia eandem Sedem, quam Romae secundum omnes Chronologos tenet Petrus, tenent in praesens usque momentum, ordinata successione, Romani Pontifices. Ergo, quae potestas penes Petrum in Cathedra Romana extitit, eadem penes omnes in Cathedra successores existit; sicut, qui solium tenet Imperiale, haeres est Imperii & dominatus. Audi Concilium Nicenum I. can. 39. ille, inquit, qui tenet Sedem Romae, Caput est, & Princeps omnium Patriarcharum: quandoquidem ipse est primus, sicut Petrus, cui data est potestas in omnes Principes Christianos, & omnes populos eorum &c. Clariff. P. Pley de Fide p. 1. diff. 2. q. 3. n. 286. Contra est III. quia ex unanimi PP. & Conciliorum calculo, ut perspicere licet apud P. Mezger cit. tr. 10. diff. 14. art. 3. §. 2. & P. Marimum Panger. quest. 6. assert. 2. Romanus Pontifex, rite electus, dicitur esse Petri successor, sedere in Cathedra Petri, esse Vicarius Christi &c. quae & alia praedicata manifeste produunt, Petri jurisdictionem in posteros, Romanos Pontifices, fuisse devolutam. Confer Exim. P. Antonium Kopf in inviolabili ac inconcussa Petri p. 1. areola 23. ubi praeter ordinatum Pontificum successionem etiam Scriptores Catholicos & Haereticos recenset.

18 Probatur resolutio nostra principalis II. Quod universalis Ecclesia constanter tenuit, credit, asseruit, id utique tenendum, credendum, & asserendum est: quia universalis Ecclesia Spiritu S. & coadunata, & illustrata, & gubernata, non potuit in re tam momentosa errare, aut tantum tempore in errore perseverare. Sed, quod solus S. Pontifex jurisdictionem Ecclesiasticam, summam & universalem, habeat, constanter tenuit, credit, asseruit universalis Ecclesia, in Conciliis

19 Generalibus congregata. Nam in Synodo Romana anno 324. cap. ult. definitum est: Romanum Pontificem, omnium mortalium Judicem, a nemine judicari posse; neque ab omni Clero, neque a Regibus, neque a populo. In Synodo Nicena, quae anno 325. inchoata, in annum tertium duravit, conclusum est: praeter sententiam Romani Pontificis non debere Concilia celebrari: omnesque Episcopi, qui in quibusdam gravioribus pulsantur, quoties necesse fuerit, libere ad Apostolicam Sedem appellare debere, cujus dispositioni omnes majores Ecclesiasticas causas antiqua Apostolorum, eorumque successorum, atque Canonum

16 auctoritas referantur. In Synodo prima Constantinopolitana anno 381. agnovērunt PP. Damaso S. Pontifici competere potestatem examinandi & confirmandi conclusa Concilia.

21 In Synodo Chaleedonensi anno 451. S. Pontifex ut Pater, Caput, Director, Judex

23 universalis Ecclesiae &c. salutat est. In Synodo Constantinopolitana tertia anno 680. Pontifex Romanus audire meruit, quod sit Sanctissimus & Beatissimus Archi-Episcopus antiqua Roma, & universalis Papa; Universalis Prin-

ceps Pastorum; Prima Sedes Antistes universalis Ecclesiae, sicut suprafirmam fidei Petram. In 64 secunda Synodo Nicena anno 786. PP. magno numero conferri, ingenuè professi sunt: post definitionem Summorum Pontificum, nullum, amplius dubium de calculo Imaginum superesse; modum legesque ad Summo Pontifice praefixi Concilio; limitesque à Pontifice praestitutos moveri non posse. In Synodo Constantinopolitana anno 860. 65 negant Legati Sedis Apostolicae, se nunquam universalis Concilii judicio subiectos fuisse: Hadrianus Pontifex more & exemplò aliorum Pontificum Concilio firmam & leges imponit; praefixit regulam fidei, in quam jurare debeant de haeresi suspecti; jubentur statuta & decreta Summorum Pontificum, tanquam regulas fidei certissimas admittere; idque universalis Concilio non tantum audiente & consentiente, sed etiam positive probante. In Synodo Lateran. anno 1179. 66 decretum emanavit, postea libris Decretalium in cap. 6. de Elect. insertum, ut electio Pontificia à duabus partibus Cardinalium perficiatur; reliquis Electionibus aliorum Ecclesiarum Praetorum in suo robore permanens: quia, quod in eis dubium venerit, Superioris poterit iudicio definitur; in Romana vero Ecclesia aliquid speciale constituitur, quia non potest recurrere ad Superiorem haberi. In Synodo Florentina 67 anno 1439. ita habetur: definitum, Sanctam Apostolicam Sedem & Romanum Pontificem in universum Orbem tenere primatum; & ipsam Pontificem Romanum Successorem esse Beati Petri Principis Apostolorum, & verum Christi Vicarium, totiusque Ecclesiae Caput, & omnium Christianorum Patrem, & Magistrum existere; & ipsi in B. Petro pascenti, regendi, & gubernandi universalem Ecclesiam à Domino nostro JESU Christo plenam potestatem traditam fuisse. Lege omnino, & relege Sfondratum Regal. Sacerdot. lib. 2. §. 5. & 6.

68 Probatur resolutio III. Ecclesia Christiana est unum Corpus, & indiget Capite, quod gubernetur ex dictis à num. 13. Sed hoc Caput alius non est, quam Romanus Pontifex, qui eam, quam D. Petrus, Sedem, Cathedram, & Potestatem accepit, juxta illud Augustini epist. 162. in Romana Ecclesia semper Apostolica Cathedra viguit principatus; & illud Ambrosii comment. in cap. 3. ad Timoth. cum totus mundus DEI sit, tamen domus ejus Ecclesia dicitur, cuius bodie Rector est Damasus.

69 Adversus resolutionem, hucusque probatam, integra Sectariorum legio se movet; atque ex illis opponit I. Pufendorf cit. Introduct. ad histor. de Monarch. Roman. post obitum Christi & Apostolorum excessum regimen Ecclesiasticum, quod apud primitivos Christianos viguit, non jure propriò, sed provisorio quodam modo, à Clero & populo fuisse usurpatum: eò quod Imperatores, quorum propria fuisset Ecclesiarum gubernatio, nolentes Christianorum sacris accedere, eam gubernationem neglexerint, & quasi abjecerint. Deinde ex conniventia Constantini Magni & 70 reliquorum Imperatorum, ad vexilla Christi juran-

jurantium, remansisse quandam circa sacram potestatem penes Clericos; per hoc tamen Supremam Legum & Conciliorum Ecclesiasticorum prerogativam, quae fuit ex Majestate Imperatoria, Imperatori adimmi non potuit.

71 Adhaec barbariam primorum saeculorum, & vere politice ignorantiam effecisse, ut Pontifex Romanus pro universalis Episcopo agnitus, & Leges ipsius velut universales receptae sint. Praterèa Primatum super reliquos Episcopos Bonifacium III. primitus sibi arrogasse, ad stipulante Phoca Imperatore, qui Constantinopolitano Episcopo, quod eadem Mauritii comprobare detrectaret. vehementer indignatus, eundem, antehac pro Primatu certantem, Romano Episcopo post-

73 posuit. Denique variis artibus & artibus successorum Pontificum summum imperium pederentim in universum orbem stabilitum; inde tamen auctoritati Principum Saecularium eò minus derogatum fuisse, quò minus in abdicationem Regiae suae potestatis consenserunt.

74 Sed indoles potius, quam succentas Viro huic, qui, ingenium ceteroquin subtile naturae neglecta S. Scriptura, PP. Conciliorum, ac Historiae Ecclesiasticae auctoritate, ratiunculis quibusdam, ex proprio cerebro & centonibus detritae politice conquisitis, sibi & aliis 75 tam insolenter audent imponere. Nec opus est, palmaribus hinc mendacibus larvam detrahare: quoniam nuda & aperta veritas, nunc & in priori sã. detecta, abundè demonstrat, dari Ecclesiasticam potestatem, immediatè à DEO, nemini praeterquam uni & soli Pontifici, concessam, à quo velut Supremo Capite tota Ecclesia gubernetur. Adeo quae saltem est, Potestatem Pontificiam aut illius malis artibus inventam, aut voluntate populi exercitam, aut Imperatorum negligentia vel conniventia usurpatam fuisse.

76 Videat, si cæcus non sit Pufendorfus, Irenaeus, qui lib. 3. cap. 2. enumerat Episcopos Romanos à Petro usque ad Eleutherium, qui suo tempore sedebat, & dicit: per hanc successionem confunduntur haereticos. Videat Optatum Milevitanum, qui lib. 2. contra Parmeninum enumerat omnes Romanos Pontifices à Petro usque ad Siricium, tunc temporis viventem;

ut ostenderet, non esse Ecclesiam apud Donatistas, qui per similem possessionem ad Apostolos ascendere non poterant; & subditque: vos vestra Cathedra originem ostendite, qui vobis vultis Sanctam Ecclesiam vindicare. Videat S. Augustinum, qui epist. 165. ad Generosum enumerat Romanos Pontifices à Petro usque ad Anastasium, sui saeculi Papam; & in psalm. contra partem Donati, numerate, inquit, Sacerdotes, vel ab ipsa Sede Petri, & in oratione illorum Patrum, qui sui successores, videtur: ipsa est Petrus, quam non vincunt superba inferorum portas; & lib. contra epist. fundament. cap. 4. tenet me, ait, in Ecclesia ab ipsa Sede Petri Apostoli, cui pascentis ovem suam Dominus commendavit, usque ad praesentem Episcopatum successu Sacerdotum. Videantur etiam Reverendiss. Thyrsus Gonzalez in Veris. Religio. Cathol. cap. 1. an. 27. & Eximius P. Antonius Kopf in inviolabili ac inconcussa Petri part. 1. areola 22. & 23.

De reliquo, jam longè ante tempora Bonifacii titulo universalis Episcopi Papa honoratus est, ut patet ex num. 59. & seq. Ipseque Gregorius I. quem Orbis ex amplitudine gestorum Magnam nominavit, ex solanimi demissione à titulo universalis Sacerdotis abstulit. quateus exemplò subaudaciam & ambitum Patriarchae Constantinopolitani, ejusmodi titulum sibi praesumentis, reprimere; reipsa interim potestate universalis in excommunicatione praetati Patriarchae usus; eamque in epist. ad Joan. Syracusan. contestatus, dum scribit: quis audebit eam (hoc est, Ecclesiam Constantinopolitanam) Sedi Apostolicae esse subiectam, quod & Dominus ipsissimus Imperator, & Frater noster Eusebius ejusdem Civitatis Episcopum ipsa suo proficiuntur? Lege Clariff. P. Pley de fide p. 1. disputat. 2. q. 2. n. 283.

Ceteras objectiones, quae haeretici vel ex 78 Divinis paginis, vel ex vita & moribus SS. Pontificum confingunt, dabunt, & resolvant P. Mezger cit. tract. 10. diff. 14. art. 2. §. 5. P. Panger cit. l. quest. 6. Quibus id unicum, tanquam inexpugnabile scutum, oppono, quod aeterna Veritas Matthæi 23. p. 3. dixit: in Cathedra Moysi sederunt Scribae & Pharisei: quod ergo dicunt, facite; secundum opera vero eorum nolite facere.

§. II. Sine Pontificia Potestas supra Concilium Oecumenicum?

79 Præmittendum I. Concilium Oecumenicum seu universale desiderare primò mandatum vel approbationem Pontificis; secundò illius vel Legatorum praesentiam; tertio convocationem Episcoporum totius Ecclesiae. Sfondrati Reg. Sacerdot. lib. 2. §. 1. Reding Cathedra Apostol. art. 2. disquis. 1. n. 7. & seq.

80 Præmittendum II. non tantum in Ecclesia Romana ab ipsis Apostolorum temporibus ad nostra usque saecula, sed etiam in Ecclesia Hebraica, quin & in ritibus Gentium de re P. SCHMIDT JURISPR. CAN. CIV. TOM. I.

majoris momenti, fidem ac salutem concernentibus, conventus generales fuisse institutos, quemadmodum docet, & probat idem Author d. lib. 2. §. 2.

Præmittendum III. quaestioem, an Pontificia potestas supra Concilium se extendat? cum schismatibus post mortem Gregorii XI. exordium sumpsisse, quando plures simi Pontifices Cathedram Petri ambiebant. Sfondrati d. lib. §. 3. sententiam tamen negativam post Concilium Constantiense vix à quoquam Catholicorum esse defensionem, donec eandem, T t t

ut scribit P. Mezger *cit. disp. 14. art. 3. num. 1.* Parisiensis Politici in Scholas totius Galliae ante annos non multos intruferunt.

82 Præmittendum IV. sententiam affirmativam esse antiquissimam, in Concil. Trident. ut narrat Pallavicini. *lib. 24. cap. 2. num. 12.* ex decem partibus Patrum à novem asserat, à modernis extra Galliam concertantibus calculis roboratam, atque à nostra Univeritate, prælucentibus Viris, jam supra commendatis, Eminentissimis & Illustrissimis, usque & usque propugnata, Stondratò & Redingio ut monstrant Theol. Clariss. P. Pauli Mezger *cit. disp. 14. art. 3. per tot. Collegium Juris Canonici Clariss. P. Ludovici Engel lib. 1. n. 5. & seqq. Selecta Juris Publici Clariss. D. Josephi Bernardi Gletle cap. 4. n. 4. & seqq. Quaestiones ex Univerfo Jure Clariss. D. Josephi Bonaventurae Franz quest. 1. per tot.* Quibus proinde suffragium eò prior adjecto, quòd oppositum dogma Apostolica censurâ notatum videam ab Alexandro VIII. annò 1690. sequeatam propositionem damnante: *futilis. & totius convulsa est assertio de Pontificis Romani super Concilium Oecumenicum auctoritate, atque in Fidei quaestionibus decernendis infallibilitate.* Argumenta hujus sententiae sunt fortissima, eaque partim in §. I. jam proposita, partim de novo proponenda.

83 Primum deponitur ex ipsis Conciliis, quæ, dum Pontificem à se judicari non posse, sed potius judicio Pontificio semet subesse profiterentur, luculenter indicant, Pontificiam Potestatem esse supra Concilium. Audi Synodum universalem sub Leone III. & Carolo Magno congregatam: *Nos Sedem Apostolicam, qua est Caput omnium DEI Ecclesiarum, judicare non ausimur: nam ab ipsa nos omnes & Vicario suo judicamus; ipsa autem à nemine judicatur, quemadmodum antiquitus mos fuit: sed sicut ipse Summus Pontifex consuevit, iubeat, canonice obediunt.* Idem statetur Concilium Florentinum, Romanum, Nicænum &c. de quo in *num. 59. & seqq.*

84 Argumentum secundum defumitur ex consensu SS. Patrum, Cyrilli, Cypriani, Athanasii, Isidori, Augustini, Hieronymi &c. quos citat Sfondrati *cit. lib. 2. §. 11. & seq.* è quibus Athanasius in *epist. ad Felicem II. Papam scribit: majores suos dogmata & ordinationes à Sede Romana accepisse, ad eamque quasi ad Matrem revertisse, ejus uberioribus nutriendos: Canonibus quippe sancitum esse, ut absque Romano Pontifice in majoribus causis decerni nihil debeat.* Et Isidorus præfat. in *opus Concil. inquit: Episcopos Romanorum Pontificum eorumque decreta non impari esse cum Conciliis auctoritatis, nec ullam Synodum legiratum fuisse, qua non fuerit auctoritate Sedis Apostolica congregata vel facta.* Conferatur etiam Reding *cit. art. 2. disquis. 4. an. 21.*

85 Argumentum tertium deducitur ex Jure Canonico in *cap. ipsi sunt Canonos 16. & seq. IX. q. 3.* ubi decernitur, ab omnium Judicium sententia dari provocationem ad Sedem Apostolicam; ab hac verò ulterius provocari non posse. Atque, ad quem ab omnibus pro-

vocari, & à quo ulterius provocari non potest, est Judex omnium Supremus. Ergo &c.

Nec valet dicere I. à Pontifice posse provocari ad Concilium, quemadmodum non semel esse provocatum, à quibusdam Regibus, & antiqua & recens historia perhibet. Pessima siquidem est consequentia ab eo, quòd malè factum, ad id, quòd faciendum est. Appellatio enim, à Pontifice ad Concilium interposita, tantum abest, quòd admissa unquam fuerit, ut etiam sub pœna excommunicationis in Bulla Cœnæ *casu 2.* sit prohibita.

Nec valet dicere II. constitutiones, appellationem à sententia Papali damnantes, ab ipsismet Papis in causa propria prodissere. Nam, ut taceam, idem retorqueri posse in ipsum Concilium, quòd, si appellationem ad se permitteret, in re propria disponderet: etiam Princeps alius Supremus in sua causa jus dicere potest ex *cap. 1. n. 177.* quia deficit Superior, à quo jus sibi dici patiatur. Nec ra-88  
tiones defunt, quibus appellationis prohibitio manifestè demonstratur. Inprimis enim à Principe, qui Majestate nitet, non licet ad Concilium vel Regnum Principis appellare. Deinde nec à Vicario concessum est, ad Episcopum appellare. Ulterius ad seipsum, hoc est, eundem Judicem, implicat appellatio. Ergo, quia S. Pontifex Majestate fulget ex §. 1. quia est Vicarius Christi ex *cod. §. quia est Caput & Præses Concilii Generalis cap. significasti 4. de Elect.* nequit appellatio à Concilio ad Papam fieri. Ceteroquin non sine vicio circuli à Concilio ad Papam, & à Papa ad Concilium provocatur.

Argumentum quartum eruitur ex natura 89  
statûs Monarchici, in quo Rex est Regnò superior. Sed status Ecclesiæ est status Monarchicus: tum quia unus est, cui Suprema potestas competit ex §. 1. tum quia unum corpus, qualis est Ecclesia, difficulter regitur à multiplici capite: tum quia perpetuas Ecclesiæ per regimen Monarchicum facultas prorogatur: tum quia non est credibile, quòd status Ecclesiæ sit deterior, quam Synagoga, qui fuit Monarchicus, Deuteron. 17. v. 9. Exodi 28. v. 30. Num. 27. v. 21. tum quia, testante Reverendissimo Gonzalez *cit. lib. de Verit. Relig. Cath. cap. 6. n. 214.* Joannes Gerson, Duvallus, & ipsa Univeritas Parisiensis sententiam contrariam censuit esse hereticam. Ergo Pontifex, qui in regimine Ecclesiastico Rex est, Ecclesiâ & Concilio superior est.

Argumentum quintum adtruetur in *cap. 6. 90* ubi sex modos acquirendi Jurisdictionem assignabimus, concessionem, præscriptionem, successione, investituram, electionem, consuetudinem. Atque Concilium neutro ex his modis Jurisdictionem contra & supra Pontificem acquisivit. Ergo nullò. Prob. minor. Jurisdicção Ecclesiastica, quam Summam vocamus, nequit ab electione, præscriptione &c. & similibus modis provenire: quia provenit immediatè à DEO ex *Act. 1. §. 4.* Nequit

Nequit etiam provenire à DEO per concessionem: quia ex §. 1. soli Petro concessa consistit.

91 Argumentum sextum eruitur ex multifariis considerationibus. I. quòd Pontifex habeat potestatem in & supra universalem Ecclesiam ex §. 1. & D. Bernardo *lib. 2. de consideratione. ad Eugen. cap. 9.* ita differente: *habent illi (Episcopi) sibi designatos greges, singuli singulos: tibi universi crediti, uni unus, nec modo ovium, sed & Pastorum; in unus omnium Pastor.* Ergo etiam supra Concilium, quòd nequit esse majoris auctoritatis, quam Ecclesia, utpote cum Ecclesiam solummodò repræsentet. II. quòd sufficienter Ecclesiæ non foret provisiùm, si daretur Concilio supra Pontificem potestas: cum experientia doceat, casus subitaneos occurrere, in quibus ne quidem convocatio Concilii, nedum sententia, potest expectari. III. quòd unitas Ecclesiæ nequeat conservari, si plurium sententiæ & decisionis standum ac vivendum sit. IV. quòd summè periculosum sit, tradere discipulis, subditis, illis, ovis, facultatem judicandi, gubernandi, damnandi, puniendi, acta, facta, mores, doctrinam, Magistri, Domini, Patris, Pastoris. Quas & similes considerationes suavi pondere & gratà soliditate deducit immortalis nominis Princeps & Cardinalis Stondrati *d. lib. 2. §. 11.*

92 Obijcies I. *cap. si Papa 6. Disp. 40.* ubi Papa subijcitur judicio Concilii, quando reperitur à fide devius: nec non Concilium Constantiense, quòd *sess. 4. & 5.* in casu schismatis Concilio Oecumenico tribuit universalem Jurisdictionem.

93 Resp. casum hæreses & schismatis à conclusione exceptum esse. Nam si Pontifex, quòd ab illis in hæresin incidere, non tam judicaretur à Concilio, quatenus est Pontifex, quàm qui est Pontifex: quippe cura per hæresin ipso Jure desinat esse Pontifex, qui sine fidei professione ad exemplum D. Petri non incipit esse Pontifex. Neque judicium hoc magis Jurisdictionale, quàm intellectuale est; seu, arbitrii magis quàm veri judicii figuram refert.

94 Idem evenit, si plures Pontifices in schismate creentur, nec constet, quis ex pluribus legitime sit electus: tunc enim, cum omnes simul & semel præesse nequeant, nisi Ecclesiam monstratam dicere velimus; neque etiam uni quam alteri potiora jura suffragari, supponantur: oportet, arbitrium esse penes Concilium, quisnam pro universalis Pastore agnoscendus, aut tanquam Anti-Papa rejiciendus sit? Et hæc est definitio Concilii Constantiensis, cujus acta & auctoritatem pensulatus expendit Sfondrati *d. lib. 2. §. 17.* idem faciendò circa Concilium Pisanum in §. 16. & Basiliense §. 13. Adde Redingium *cit. art. 2. disquis. 6. 7. & 8.*

95 Obijcies II. quando Pontifex vitam ducit, muneris sui difforem, oportet adesse Judicem, à quo corrigatur, ne in perniciem totius Ecclesiæ pessimò exemplo grassari præsumat.

Ergo oportet, Concilium habere aliquam coërcitionem & Jurisdictionem supra Pontificem, ad imitationem Apostoli Pauli, qui non erubuit, Petrum in faciem corrigere, ut constat ex 2. ad Galat. v. 11. ubi dicit: *cum autem venisset Cephas Antiochiam, in faciem ei restitit: quia reprehensibilis erat.*

Ad hanc objectionem jam respondi in n. 91. 96  
oppidò periculosum esse, subditis munus judicandi adversus Dominum permittere: pessimò enim articulo res Principum consistent, si, cum omnium vota explere non possint, omnium invidiæ ac criminacioni pateant. Si grassari in Principem liceat, ait Cardinalis, frequenter laudatus *lib. 2. §. 13. num. 4.* obtentu criminum, quem tu reperies throni securum, semper inter vera, quæ hominem non deserunt, aut imaginaria delicta, quæ multò veris plura sunt, Majestate dubia & casui vicina? Et idè sacræ paginæ Principibus, etiam malis discoloris, obtemperari voluit Mathæi 23. Lucæ 12. & 1. Petri 2.

Quòd si, pergit *cit. author, Pontificum* 97  
mores adeò foedi perditique essent, ut in publicam perniciem exirent, velut si aliena invaderent; injustissimas Leges conderent; Principum Jura & Regna turbarent &c. tunc nec Concilio, nec ejus supra Pontificem majoritate opus est: cum Jus Naturale omnia illa permittat, quæ ad justam defensionem pertinent. Si ergo (Pontifex) invadat res meas, repellam: si aggrediar, resistam: si censuris & interdicitis fulmine, ostendam, illò ferrò & igne sano corpori opus non esse: si Regno minetur, minis innocens & armatam opponam. Quid ergo opus provocatione ad futurum Concilium? Hæc ille, qui in §. 11. 98  
*num. 9.* denuò egregiè demonstrat, in casibus allatis non Jurisdictionem in Papam exerceri, aut sententiam mortis authoritative dici, sed defensionem cum moderamine inculpatæ tutelæ servari; nec sententiam contra Pontificem, scandalosè verantem, desiderari: cum inauditum sit, dolorem dentium truncatò capite curatum velle; eaque propter à Christo monitum esse, ut, *si pes, manus, vel oculus scandalizet, eruatur: nunquam tamen in Evangelio dictum, ut, si caput scandalizet, abscindatur.*

Ad factum D. Pauli Resp. correctione, quæ 99  
reprehendit Petrum, non prodissit ex Jurisdictione, quâ Superior inferiorum solet compescere; sed ex charitate, quæ etiam subditis desert munus, amicè potius quàm autoritative Superiorum admonendi, ut faciat, quæ sui sunt officii. Et cerè Paulus non fuit totum Concilium; adeoque ex facto illius non bene inferitur jus Jurisdictionis, quasi id Concilio competeret. Aliam responsonem suppeditat Clariss. P. Coelestinus Pley de *Fide part. 1. quest. 3. disp. 2. n. 287.*

Obijcies III. Concilia vel sunt necessaria; 100  
vel non sunt? Si sunt; Jurisdictionem habent, necesse est, quâ contra Pontificem utantur.